



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De quibusdam confeßoribus, & tribus martyribus, & Petro monacho, &
Asclepio, martyribus. Cap. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

sūt. Forū item & plateæ, nulla pluuiæ gutta ex aere decedente, nescio vnde, quoue modo, aqua aspersa maduerunt, sic vt illico rumor per omnium ora volitaret, terrâ vtpote rerum id temporis gestarum scelus & impietatem non ferentem, inexplicabili quadam ratione lachrymarum vim ex se funderet; & lapides naturâq; inanimam nefaria ea facinora deslere, quô hominum naturam tam ferream, tam immitem, tamque ab omni affectione vacuam, iusta reprehensione coargueret. Verum nugæ & fabulæ (prope dixerim) hæc quidem oratio posteritati fortasse videbitur: non tamen his, qui eo ipso tempore præsentibus, de rei veritate satis persuasi fuerunt.

De quibusdam confessoribus, & tribus martyribus, & Petro monacho, & Asclepio, martyribus.

CAP. XX.

Decimo quarto die mensis Apellæi proxime insequentis, hoc est ad decimum nonum Calend. Ianuarii, quidam pii viri ex Aegypto profecti (in Ciliciam namque iter susceperant, vt confessores, qui ibi versabantur sua curatione subleuarent Cæsareæ) ab his qui diligenter homines ad portas ciuitatis accedentes perscrutantur, capti sunt. Ex quibus alii eandem cum illis, quibus erant inseruituri, sententiam & condemnationem subierunt: vt oculi nempe & pedes cruciatu illis labefactarentur. Tres autem illorum Ascaloni, vbi capti erant, admirabilem fortitudinis vim in fidei suæ confessione ostendentes, variis martyrii generibus defuncti sunt. Nam vnus illorum in rogam coniectus fuit: cui nomen Ares: reliquis duobus qui Promus & Elias appellabantur, capita amputata. vndecimo die mensis Audinæ, id est, ad tertium Idus Ianuarii, Petrus, qui & Apselanus dicebatur Ἀσκληπιός id est religiosus vel monachus, vitam solitariam & meditationi deditâ secutus, ex pago Anea in finibus Eleutheropolis sita prognatus, cum iudex & qui ei aderant in consilio, sæpissime eū orassent, vt sui ipsius miseretur, suæque adolescentiæ & ætati florenti parceret, eorum hortationibus penitus neglectis, & spæ quâ in Deo omnipotenti collocasset cū aliis rebus
omni-

*Probus
al.*

EVSEBII HISTORIAE

omnibus tum vitæ ipsius longe prælata, Cæsareæ per ignem, velut aurum purissimum, fidem in Christum Dei generoso & excelso animo accurate probavit. Cū isto vnâ Aesculapius episcopus, vt videbatur, erroris Marcionitarū, zelo pietatis, vt ille putabat, sed non illius quæ est secundum scientiam, vno & eodem rogo combustus, exiit è vita. Verùm hæc hæctenus.

*De duodecim martyribus, qui cum Pamphilo
martyrium oppetiuerunt.*

CAP. XXI.

TEmpus iam eo me vocat, vt illustre quasi theatrum martyrum, qui cum Pamphilo (cuius nomen mihi semper optatissimum fuit) mortem oppetiuerunt, in hoc sermone ante oculos cuiusq; ad intuumdum proponam. Duodecim quidem erant, & non modo quodam prophetico dono, aut potius Apostolico, sed apostolorum etiam numero dignati: quorum Coryphæus & princeps solus Pamphilus, presbyterii dignitate Cæsareæ ornatus, extitit: virtute vitæ cursu omni virtutum genere eximus: abiectioe & contemptu seculi insignis: facultatum in pauperes largitione magnificus: spei, quæ in caducis mundi rebus desigi solet, despicientia mirus: ratione viuendi & cōsuetudine vero philosopho digna singularis: quinetiam ardenti diuini eloquiū & sacrarum literarum studio, præter cæteros nostræ memoriæ homines egregius: attentissima & prope inexhausta in eas res industria & assiduitate, quas apud animum proposuerat, præstabilis, & in cognatis, omnibusq; propinquis iuuandis perliberalis: Cætera virtutis eius officia, & rectè facta, quoniam longiore explicatione eguerunt, in separato & proprio volumine, de eius vita perscripto, inque tres libros dispertito, iam pridem pluribus verbis tradidimus. Eos ergo, qui acri illius vitæ & virtutum in ea elucentium plenius cognoscendarum cupiditate incenduntur, eò amandamus: nos autem illis solum in præsentia insistemus, quæ ad martyres cum eo ad supplicium adductos pertinent. Secundus post Pamphilum
in cer-